

*Istrumento di concordia tra Nicola
Ruffo ed Enrico di Longastreva*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Istrumento di concordia tra Nicola
Ruffo ed Enrico di Longastreva*

1341-10-06

In Dei nomine amen. Anno nativitatis Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo, regnante serenissimo domino nostro rege Roberto, Dei gratia illustrissimo Hierusalem et Sicilie rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis comite, regnorum eius anno trigesimo tertio, sexto mensis octobris, decime indictionis, apud Regium.

Nos Sandolus Brancacius de Neapoli miles, regius cambellanus et familiaris ac capitaneus civitatis Rhegii a Capite Brutiani usque ad Balneariam inclusive, necnon arbiter, arbitrator, laudator et amicabile compositor virorum nobilium Nicolai Ruffi de Calabria et domini Enrici Longastreva de Rhegio militum, per eos amicabilem electus ad diffinendum, laudandum et fine debito terminandum litem, controversiam seu discordiam dudum ortam inter partes easdem de quibusdam bonis sitis in tenimentis et pertinentiis Vallis Tuthie, terre Amendolee et terre Bove, ut in compromisso facto exinde plenius declaratur, in presentia Constantini de Famulisi, olim in anno none indictionis proxime praeteriti iudicis civitatis Rhegii et adhuc iudicis civitatis eiusdem, defectu iudicum annalium nondum pro anno presenti decime indictionis in dicta civitate Rhegii electorum; Enrici de Barella de Rhegio, regii publici ubilibet per totum Ducatum Calabrie notarii, et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, tenore presentium nostre diffinitive sententie, declarationis, arbitrationis, laudationis et arbitrii notum facimus, et superius fore notum omnibus tam presentibus quam futuris. Quod cum olim quaedam lis, discordia seu controversia verteretur inter dictum dominum Enricum, pro se et suo nomine

et pro parte Gulielmi Longastreva, nepotis sui, cuius est ex testamento tutor, ex una parte, et dominum Nicolaum Ruffum, ex altera, de eo videlicet quod dictus dominus Enricus, tam pro se quam tutorio nomine quo supra, asserebat et dicebat quod cum olim predecessores sui, et precipue quondam dominus Rainerius, pater eius, tenuerint et possiderint publice, pacifice et quiete spatio annorum triginta, item quadraginta, item quinquaginta et plus, et post mortem eiusdem domini Rainerii dictus dominus Enricus, nomine suo et dicti Gulielmi, tenuerit etiam et possederit ac teneat et possideat quam plurima bona, homines et vassallos sita in tenimento et pertinentiis Vallis Tuthii, terre Amendolee et terre Boveconsistentia in vineis, domibus, terris, molendinis et vassallis, dictus Nicolaus Ruffus, per se et alios eius nomine, indebite et minus juste inde turbavit, molestavit, ac turbat et molestat eundem dominum Enricum super possessione ipsorum bonorum, capiendo et capifaciendo violenter fructus, redditus et proventus ac iura ipsorum bonorum, non permittendo eundem dominum Enricum ipsorum bonorum pacifica possessione gaudere. Et dictus Nicolaus ex adverso contrarium asserebat et dicebat quod dicta bona fuerunt et sunt de iuribus dominationis terre Bubalini, et spectasse propterea ad eum tamquam dominum ipsius terre Bubalini; et si dictus dominus Rainerius ipsa bona tenuit et possedit, tenebatur pro eis facere domino dicte terre Bubalini certum debitum servitium. Et quia ipsum servitium non fuit prestitum, ipsa bona devoluta sunt rationabiliter ad dominationem dicte terre Bubalini, et propterea idem Nicolaus ipsam capifecit. Et tandem ipsae ambe partes, volentes laboribus quiescere et expensas et litis eventus dubios evitare, omni eorum consilio et provisione

munito, de lite et discordia paedictis sponte, concorditer et voluntarie per se suosque heredes et successores compromiserunt in nos, tanquam in eorum arbitrum, arbitratorem, laudatorem, diffinitorem seu amicabilem compositorem, de lite et discordia predictis; nosque in premissis elegerunt ad diffinendum, laudandum seu arbitrandum dictam litem seu controversiam dictorum bonorum tam in possessione quam in proprietate, dantes et concedentes nobis ambe partes predictae auctoritatem plenam, generalem licentiam et liberam potestatem ut possimus per nos, alium vel alios, visis iuribus utriusque partis predictae vel non visis, ipsam litem seu dictam controversiam summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii, ordine iudiciario pretermisso, die feriato vel non feriato, partibus ipsis citatis, vocatis et requisitis vel non, vel una presente et altera absente, sedendo, stando vel ambulando, oretenus vel in scriptis, quacumque hora, quocumque loco et alta voce vel basse, ut nobis melius videbitur, videndum, audiendum, terminandum, arbitrandum, laudandum, sine debito terminandi, sententiandi et emendandi; et quod possimus semel et pluries, etiam quandocumque nostra sententia seu arbitrium et laudem interpretari, declarare, corrigere ac etiam reformare, si et quotiescumque nobis videbitur expedire. Volentes et convenientes dicte ambe partes sibi ad invicem stare, parere et obedire laudo dicto, arbitrato, pronunciationi per nos vel alios de mandato nostro facte, homologare et approbare et in nullo contravenire, quacumque ratione, causa seu modo, de iure vel de facto, verbo vel opere, prout hec et alia in compromisso inde habito plenius et serius continentur. Nos vero, ex potestate nobis tradita per partes easdem de predicta lite seu discordia informare volentes, utriusque

partis predicte terminum peremptorium statuimus ad ostendendum nobis si que iura et cauthelas utraque pars in dictis bonis haberet; infra quem terminum dictus dominus Enricus, tam nomine suo quam dicti Gulielmi, certa iura obtulit coram nobis et super eisdem citatione prius legitima precedente nonnullos testes produxit, et receptis prius ab unoquoque ipsorum testium de veritate dicenda ad Sancta Dei Evangelia consueto et debito iuramento, ipsorum testes examinemus diligenter, et eorum depositiones et dicta fideliter redigi fecimus et inscribi per notarium Petrum Rumbulum, actorum curie nostre notarium; infra quem terminum etiam ad probandum datum dominus Nicolaus nec aliquis alius pro eodem nulla iura neque cauthelas nobis offerre curavit, licet per nos et de mandato nostro fuerit pluries legitime requisitus. Unde nos, qui supra capitaneus ac arbiter, arbitrator et amicus compositor partium earundem, visis, discussis et diligenter inspectis totius predictae causae meritis et processibus, habitoque etiam super iis plena cum deliberatione consilio diligentius cum nonnullis iuris peritis et in talibus expertis, et precipue cum iudice et assessore nostro, quia pro equo novimus et nostrum animum moverunt, quia de intentione dicti domini Enrici ad plenum et evidenter constitit, nihilque fuit ex adverso probatum quod intentionem ipsius domini Enrici in aliquo elideret seu enervaret, ideo, Dei nomine invocato, sententiam definitivam arbitramur, laudamus, definimus et dicimus dicta bona de iure pertinere ad ipsum dominum Enricum et Gulielmum nepotem eius, decernentes, laudantes et diffinientes dominum Nicolaum nullum ius habere in bonis predictis, nullumque censum seu servitium deberi eidem, et propterea eidem Nicolao

perpetuum silentium imponimus; et eundem dominum Enricum, nomine suo et dicti Gulielmi, bona ipsa possidere debere pacifice et quiete, nec per ipsum Nicolaum, factores, officiales et vassallos suos in ipsorum possessione aliquatenus perturbari. His scriptis hanc nostram sententiam proferentes, lata, lecta et recitata est haec nostra sententia predictis anno, die, mense, loco et indictione premissis, notario publico et testibus infrascriptis ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Unde ad futuram memoriam et dictorum domini Enrici et Gulielmi heredum et successorum suorum, et omnium quorum interest et interesse poterit, de premissis certitudinem et cautelam presentem nostram sententiam eidem domino Enrico exinde fieri fecimus per manus dicti notarii publici scriptam et subscriptam, subscriptione dicti iudicis, sigillo nostro privato ac subscriptorum testium, qui interfuerant prolationi dicte sententie, subscriptionibus communitam. Fatemur insuper nos, praefati iudex, notarius publicus et testes subscripti, per presentem sententiam quod accessimus ad petitionem dicti domini Enrici coram eodem domino capitaneo. Idem dominus capitaneus predicto die coram nobis predictam sententiam protulit in scriptis, presente dicto domino Enrico, ut superius continetur. Actum, anno, mense, die, loco et indictione praemissis. † Ego Alexander Brancacius de Imbriachis de Neapoli miles, qui supra, testor. † Ego Iacobus Puldericus de Neapoli testor. † Ego Constantinus de Famulisio de Rhegio, iudex civitatis Rhegii, testor. † Ego Iacobus de Gilberto rheimus canonicus prolationi dicte sententie interfui et testor. † Ego Ioannes de Sartiano testor. † Ego Nicolaus de Sartiano predictae

testor. † Ego Facius Sagulena de Rhegio me subscripsi.
 † Ego Ioannes de Canunni de Rhegio predicta testor.
 † Ego Constantinus de Sancta Barbara iudex testor.
 † Ego Enricus Carazzolus de Neapoli testor. † Ego
 Damianus de Boioanne fateor et testor. † Ego Enricus
 de Barella de Rhegio, regius publicus ubilibet per totum
 Ducatum Calabrienotarius, prolationi dictae sententiae
 interfui, praemissaque, de mandato dicti domini Sanduli
 et ad requisitionem dicti domini Enrici, scripsi et me
 subscripsi. Adest sigillum privatum domini de Brancacio
 capitanei ut supra.

Nella copia, da cui è tratta la presente edizione, si dà notizia
 del sigillo pendente apposto all'originale da cui la stessa è stata
 tratta.